

**1999-03-16 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Patnensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA*****PATNENSIS\******PROVINCIA ECCLESIASTICA PATNENSIS IN INDIA CONDITUR**

Indicos intra fines fidelium communitates increbrescere iam laetantes cernimus atque ut eae usque volumus floeant et Christi salutem omnibus demonstrent. Nunc autem in Patnensi Ecclesia oculos figimus, ad cuius salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audita sententia, Apostolica Nostra usi potestate, novam Provinciam ecclesiasticam ex distractis dioecesibus Patnensi, Bettiahensi, Bhagalpurensi, Muzaffarpurensi et Purneaënsi a metropolitana Sede Ranchiensi, condimus *Patnensem* appellandam atque pristinam eiusdem nominis dioecesim ad archidioecesis metropolitanae gradum evehimus, cui suffraganeas facimus dioeceses Bettiahensem, Bhagalpurensis, Mazaffarpurensis et Purneaënsis. Renuntiamus exinde Venerabilem Fratrem Benedictum Ioannem Osta, in praesentia Episcopum Patnesem, Archiepiscopum Metropolitanam, cunctis additis iuribus congruentibus ad sacrorum canonum praescripta. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Telesphorum P. Toppo, Archiepiscopum Ranchiensem, deputamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Martii anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 7, pp. 596-597